



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina Evangelica De Meditatione mortis

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Precationes vel potius Eiaculationes præcipuorum Apostolorum, quas sub
extremam vitæ hora[m] ad D. N. iesum Christum emiserunt. xix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

omnes iniquitates meas dele. Ne auertas faciem tuam
à me: ne declines in ira à seruo tuo. Adiutor esto mihi,
ne deseras me, neque despicias me Domine Deus meus.
Amen.

Psal. 50.
Psal. 26.

INITIVM PSALMI XXX.

Cuius verbis vsus est Christus in cruce, cum Patri
suo caelesti moriens Spiritum suum commenda-
ret. Lucae 23.

IN te Domine speravi, non confundar in aeternum: in
Iustitia tua libera me. CAPVT
XVIII.

Inclina ad me aurem tuam: accelera ut eruas me.
Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refu-
gij: ut saluum me facias.

Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu: et
propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi:
quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti
me Domine Deus veritatis.

Precationes, vel potius Eiaculationes praecipuorum
Apostolorum, quas sub extremam vitae horam,
ad D.N. Iesum Christum emisit.

S. Petri Apostoli morientis.

PRECATIO.

GRatias tibi ago Domine Iesu Christe, Fili Dei vi-
ui: non solum voce & corde, sed spiritu quo te di-
ligo, quo te intelligo, quo te video. Tu mihi omnia, & in
omnibus: tu mihi totum: & nihil mihi aliud praeter te so-
lum: qui es bonus, & verus Dei filius Deus. Cui cum
aeterno Patre & Spiritu sancto honor & gloria est, in
aeterna semper secula seculorum. Amen.

CAP. XIX.
Abdias vel
eius inter-
pres Africa-
nus lib. 1.

d s

S. Ioan-

S. Ioannis Apostoli, sub extremam vitæ horam.

PRECATIO.

Mem. lib. 5. **S**uscipe me Domine Iesu: ut cum fratribus meis sim. **A**peri mihi pulsanti ianuam vitæ: principes tenebrarum non occurrant mihi: nec veniat mihi pes superbie, & manus extranea à te non contingat me: sed suscipe me secundum verbum tuum, & perduc me ad convivium epularum tuarum, vbi epulantur omnes amici tui. Tu es enim Christus filius Dei vivi, qui precepto Patris mundum saluasti: qui & Spiritum sanctum tu: in nobis destinare dignatus es. Per eundem Spiritum tibi gratias referimus, per infinita secula seculorum. Amen.

S. Thomæ Apostoli.

PRECATIO.

Mem. lib. 9. **T**V Domine, qui animam inopem replere consuevisti, imple ea qua mihi desunt: & esto mecum, donec ad te veniam, & te videam.

Precationes Apostolicorum virorum & Martyrum, SS. Polycarpi & Cypriani, cum iam iam calicem Domini bibituri essent.

S. Polycarpi Martyris, Smyrnen. Episcopi.

PRECATIO.

CAPVT

XX.

Euseb. Eccl. Hist. lib. 4. cap. 15.

Deus dilecti & benedicti filij tui IESV CHRISTI Pater, per quem tui agnitione suscepimus: Deum Angelorum & Virtutum & uniuersæ creaturæ, ac totius istorum generis, qui omnes coram te viuunt: benedico te, qui me in hanc horam perducere dignatus es, ut particeps existerem calicis Christi tui: in resurrectionem vitæ aternæ, anima ac spiritus mei, per incorruptionem Spiritus sancti. In omnibus laudo te, & glorifico te: per aeternum Deum & Pontificem IESVM CHRISTVM, dilectum filium tuum: per quem, &

64779